



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

Tit. 28. De sepulturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

cularium: nam in feudalibus alius ferè est successio
nis ordo, ut parat ex c. 1. D. natura success.
Feud. & cap. 1 De successione Ffudi.

6. Clericis verò succedunt ab intestato, in
bonis quidem patrimonialibns & proprio labo-
re atque industria quæ sitis primo loco liberi, si
quos habeant ex legitimo matrimonio, ut si Cle-
ricus ante sacros ordines conjugatus vixerit.
His deficientibus secundo ordine patentes vo-
cantur unà cum fratribus & sororibus germanis,
hoc est utroque latere junctis. Quod si defun-
ctus parentes superfites non habeat, tum ter-
tio ordine succedunt à latere venientes, secun-
dum gradus prærogativam, usque ad decimum
gradum. Consanguineis verò usque ad deci-
mum gradum deficientibus tum Clerico ab in-
testato succedit Ecclesia, vel altare, cui servivit,
san fin. XII. q. 5 c. 1. & ibid. Glos. & DD. h.t.

In bonis autem intuitu Ecclesiæ quæ sitis suc-
cedit Collegium Clericorum, vel successor ipsius
Clerici, si is bona separatis extra Collegium
possidebat, uti Episcopus, Parochus & simi-
les e. Relatum 12. sup. *De testam. c. fin. De effecto*
Ordinarii in 6. Clement. 2. De elect. Vide c. Quia
sapè 11. De elect. in 6. cap. Quoniam quidam Di-
stinct. 75 can. Illud cum seq. XII. q. 2. Latè Guil.
Redoanus De fpolis Ecclesia q. 8.

Quod si appareat demortuum & suo labo-
re industriaque quæ sive, & ex patrimonio
habuisse bona aliqua, tum dividì ea debent in
quatuor partes; quarum unam Episcopus, al-
teram Ecclesia, tertiam paripes, quartam con-
sanguinei capient c. 2. b. 2. vel loci cuiusque con-
suetudo attendi circa hæc debet, *Pialec. 2. p. cap.*
3. art. 4 n. 41.

7. Plerisque hodie locis Clericis ab intesta-
to decedentibus succedunt consanguinei ha-
zedes, prout in toto Gallia obtinetur, nisi sit
bona comparata sub nomine & ad opus Eccle-
siæ, testatur Zyp. *De Iure Pontif. novo lib. 3. Tit.*
De testam. n. 1. ubi subiungit, hic in Belgio.
Clericis intestato defunctis quoad bona mo-
bilis succedere Capitula aut Episcopos: licet
olim Comites Flandriæ Clericis testatis &
intestatis in semissen mobilium successerint, us-
que ad Robertum Frisium, qui hoc onus remi-
xit, sive ob metum Urbani II. sive ut scelera sua
expiaret.

In Brabantia ac Comitatu Namurensi boz

na Clericorum bastardorum, etiam in factis
constitutorum, ex concordatis anni 1541. 13.
Augusti 5. bona verò, nisi à Principe testandi li-
centiam obtinuerint, vel natalibus fuerint reli-
tati, immobilia quidem spectant ad Principem
mobilia verò dividi debent inter Principem
& Episcopum, donec de jure vel consuetudine
aliter fieri debet consenserit, Zyp. d. 100.

8. Et moribus ferè passim obtinuit, ut ba-
stardis seu naturalibus succedat Princeps, si
modò sine testamento, sine legitima prole, sine
matre, fratribus vel sororibus, ex eadem mate-
natis, decadant, quædere fūsus videre licea
Grivel. Decis Dolanæ 144. In Brabantia ta-
men non videtur habere testamenti facio-
num activam aliter, quam inter liberos, nisi à
Principe eam impetraret, ut testatur Zyp. d. lib.
Tit. De success. qua ab intestato defer. ut nec palli-
vam etiam de iure habent, respectu patris,
Aust. Ex complexu Cod. De intestis nuptiis. My-
*sing, cent. 1. Observas. 35. Zyp. & Grivel. *tit.**

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

§. I.

Quid sit Sepulcrum ac Sepultura.

1. 2. Quid sit Sepulchrum & Sepultura.
3. Olim ne in civitate quidem quis sepeliebatur.
4. 5. Hodie in Cæmetritis, in & apud Ecclesiæ.

Ius Sepulturæ, ut & iusta decimatum, primi-
tarium & oblationum spectant ad bona Cle-
ricorum externa, quæ non ab Ecclesia acci-
piunt, sed à laicis ratione ministerii Ecclesi-
stici. Sed & de sepulturis ideo sequitur, quia
spectat ad Episcopum, quem diximus ante esse
executorem ultimarum voluntarum, non lo-
lum ut bona testatorum arque intestatorum
legitimè distribuantur, verum etiam, ut cor-
pora eorum, si Christiani & Catholici pè in
Domino obdormierint, juxta mores consti-
tutum sepulturæ mandentur.

2. Observandum in primis hic, Sepulcris
dici

de locum concavum, quo corpus ossaque hominis condisolent, à sepeliendo; ut simulacrum à simulando, Lavacrum à lavando: ejusque appellatione omnis locus sepulture contingit, i. *Pretor & sepulcri D. de sepulcro violato.*

1. Ista verò sepulta quandoque sepulchrum significat, *can. Aurum XII. q. 2. can. Secundum XXIV. qu. 8 cap. penult. h. t.* quandoque actum ipsum sepeliendi, seu officium, quod sepeliendi corporibus impeditur, *can. Precipuum XIII. q. 2 c Non satis inf. De Smonia*, ubi prohibetur venditor sepulturae. Hinc Cicero in Vetus: *Dico mercedem funeris ac sepulturae consumi nefas fuisse. Quo pacto autem Sepulcrum i Monumento distinguitur, erudit Florentinus J. C. in L. Monumenum 24. D. de relig. & sumpt. funerum.*

3. Olim nec in Ecclesiis, nec in civitate quidem sepulcra fieri permittebantur: sic enim ait Lex XI. Tabb. *Hominem mortuum in urbe ne sepelio, neve urito.* Cicero lib. 2. de Legib. Quod ipsum veterunt Diocler. & Maximian. in L. Mortuorum 12. Cod. de Religiosis & sumpt. funerum, & Hadrianus, teste Ulpiano in D. de sepulcro violato: sex extra oppidum, more Græcum, mortui sepeliebantur, & si introferrentur, id summo honori concedebatur, ut notat Cicerone pro Flacco. Videatur hac de te Iarius Petrus Gr. Thol. *Syntag. Iuris universi lib. 43. cap. 13.*

4. At apud Christianos hodie locus communis sepeliendi corporibus est destinatus, & Coemeterium appellatur, à Græco verbo *Kouzis*, quod sopio significat seu dormire facio, quasi Domitorium, quia mortui in eo dormire dicuntur, i. ad *Thessal. 4. can. Aurum XII. q. 2. can. Thessal. 26. & can. Qui divina XII. q. 2. docet scilicet in resurrectione generali à Deo exi- citur evigilant. Et idēc nimia mortuorum lamentatio ex pusillanimitate & desperatione futuræ resurrectionis quodammodo provenit, d. can. *Venitumque cum seq.**

5. Sunt autem Coemeteria per Episcopum ab aliis locis profanis & puris dividenda ac consecranda, juxta Ecclesiis vel intra confiniam, *can. Sicut XVI. q. 4. ad sepeliendos Christianos, d. can. Aurum XII. q. 2.* Idque justis de causis; veluti ut mortuorum cadavera minus ab immundis vexentur spiritibus, & mortui sanctorum illorum commendentur patroci-

niis, quorum nomini consecrata est Ecclesia, in qua vel cuius coemeterio sepulti sunt, *can. Non existimemus XII. q. 2.* Præterea usq[ue] defunctorum proximi, ad loca sacra venientes, suorum, quorum sepulcta contutetur recordentur, & pro iis pias Deo preces fūdant, *can. Cum gravia XII. q. 2.*

Unde & sepulta seu coemeteria apud illas Ecclesiis & Monasteria ex antiquis disposita reperiuntur, in quibus Religiosorum Fratrum conventus sunt constituti, & orationes atque Missarum solemnia tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur, e. *Fraternitatem* 3. h. t.

§. II.

Jus Sepulturae ad quam Ecclesia spectet.

1. *Sepeliendus quilibet in Ecclesia parochiali.*
2. *Etiam cum ruri agens ruralia exercendi causa, ibidem decesserit.*
3. *In loco interdicto nemo sepeliendus.*
4. *De peregrinis, exteris & scholaribus.*
5. *De Prelatis & Religiosis.*
6. *De Clericis.*

1. Regulariter autem sepeliendus est quilibet in Ecclesia parochiali, vel coemeterio ejus, in qua recepit aut recipere debuit Sacramenta, & audire divina, c. i.e. *In nostra 10. b. e. c. Is qui eod in 9.* Quod si verò quis in una Ecclesia audierit divina, in alia perceperit Sacramenta, aut fuerit parochianus duarum Ecclesiarum, habentium jus sepulturae veluti si domicilia duo in diversis habuerit parochiis, & in utroque pariter habitaverit, aut habuerit domicilium partim unius, partim alterius parochiæ, *juxta Glos in c. Cum quis id 3. notab. eod. in t. Ilo- cuserit præventioni, arg. c. Duobus de rescriptis in 6 c. Cum quis, & Glos ibid. divisa quarta inter dictas Ecclesiis, d. c. Cum quis, & ibi Glos.* Alioquin de sepultura alicujus contreditibus se se interponet Episcopus, & definiet, eo inspecto, ubi quis pro majori tempore habitare fuerit solitus.

2. Habens domicilium in civitate vel castro, seque ad villam conferens ruralem recreationis aut ruralia exercendi causa, ibique inopinato interitu, non electa sepultura, decedens non in Ecclesia parochiali dictæ villæ, sed sua seu ci- vitatis, vel potius in sepulcro majorum, si alibi habeat,

habeat, sepeliri debet, dummodo absque periculo ad illud asportari valeat, e. Is qui hoc sit, in 6. quartâ tamen data Ecclesiæ rurali, in qua percipit Sacra menta.

3. Tempore vero interdicti Ecclesiastici, is quem alias in sepulcro majorum suorum sepeliri oportuit, sepelietur in Ecclesia paroeciali, vel Cathedrali, si & ista non sit interdicta. Quod si haec omnes interdicto subjaceant, in nulla earum sepeliri quis potest, e. Vipr. v. legia sup de privilegiis, sed in Monasterio proximiori, Sylvestri in V. Sepultura n. 8.

4. Peregrini, si deferri commodè ad sepulcra majorum possint, in iis sepeliendi; sin minus aut si majorum sepulcra ignorantur, præventioni locus erit inter Cathedralem & paroeciale Ecclesiam, nisi Sacra menta percepiant in paroeciali, quia tunc tacite censemur elegiisse in ibi sepulcram: quemadmodum & advenas qui primum venerint, animo manendi in eo loco. Idem dicendum est de Scholaribus aut damnatis ad mortem, nisi contraria sit consuetudo: deque exteris ac forensibus, habentibus hospitium in civitate, cum in ea Sacra menta percipient: imò etiam de viatoribus transiuntibus, nec habentibus hospitium. Nam licet hoc casu Glos. & nonnulli alii jus sepulturae afferant via sicut que Cathedrali: verius tamen est, spectare illud ad paroeciale Ecclesiam, præsertim si per presbyterum paroeciale fuerint administrata Sacra menta, Riccius in Praxi Decisi 659.

5. Praelati Regulares sepeliri debent in Ecclesia sua Praelaturæ, vel, si in duabus Ecclesiis. Praelati existant, ubi moriuntur, Archidi. in d. s. Cum quia b. s. in 6. Religiosi vero non peregrinii in loco sua religionis, vel alias in Monasteriis sui Ordinis, si illuc commodè transferri possint, aut in paroeciali loci, in quo decedunt, san. I. XVI qn. 1.

6. Denique Clerici in Ecclesia, in qua sunt beneficiati, quia ibi censemur habere domicilium, e. 3. de tempor. ordinat. in 6. maximè Praelati, qui habentur pro viris & coniugibus Ecclesiæ, san. Si vir v. 1. qn. 1. s. 2. & 3. sup. de translatis.

Episcopi.

§. III.

Electionem sepulturae unicuique liberae esse.

1. Libera cuius electione est sepultura.
2. Etiam uxori, in consulo marito, & filio familiae.
3. Non vero Religiosi, aut condemnatis per sententiam.
4. In hac electione variare licet.
5. Pena sepelientis alienum paroecianum.
6. Eleccio sepultura alteri committi potest.
7. Ius funerandi quibus Ecclesiæ competat.

1. Regula superior, dictans quemque sepeliendum in Ecclesia paroeciali, seu ejus coemeterio, in qua recipit aut recipere debet Sacra menta, & audire divina, fallit, si vel elegit alibi sepulcram; aut alibi sepulcra majorum habeat: liberum enim est cuilibet, quo vel loco, dummodo vel ex jure communis vel ex privilegio jus funerandi illi competit, sepulcram sibi deligere, e. a. in V. nulli ramus negamus, qd. Cum super hoc sit e. 2. §. fin. hoc sit. in 6. Sic Christus natus in Bethlehem, nutritus in Nazareth, Matth. 2. sepultus fuit Jerosolymis in sepulchro Joseph.

2. Ad eò autem electione sepulturae libera est, ut etiam uxor, in consulo marito, & filius existens in potestate patris, modo si pubes, sine patris consensu hanc potestatem sibi vindicet, e. De uxore hoc sit qd. penitus eod. in 6. quia electus electionis conferatur in tempus, quo mulier solvit a lege viri, & filius à patria potestate. In iis autem, in quibus attenditur effectus paria sunt, disponere tempore habili, vel inhibili, modo effectus in tempus habile conferatur, l. Quid sponsa Cod. de donat. ante nuptias, l. In tempus D. de bared instituendis. Et propriea, sicut, liberum viro est eligere sepulcram, ita & mulieri, a. cap. De uxore: ob eandemque causam etiam servus sepulcram eligere potest, Joan. And. in d. c. De uxore, quia in spiritualibus cessat, patria aut dominica potestas, cap. 1. infra De conjugio servorum. Filio vero impuberi ob defectum judicij patris sepulcram eligit, si id secat loci consuetudo: alioquin ea cessante in sepulcro majorum, vel paroeciali Ecclesia sepeliendus est, d. e. penult.

3. Religiosi quoque, cum non habeant velle aut nolle, eligere sibi sepulcram aequaliter.

nisi forte adeo remoti à suis degant monasteriis ut cum moriuntur ad ea comodè transfiri non possint, sibi hoc sit. in 6.

Similiter nec adjudicati morti per sententiam, Iohannes Zech⁹ de Republica Christiana c. 28. vers. 2. secundum salteri, licet Sacra menta percipere valeant Clement. 1. De pœnit. & remissionibus Vti nec fūtūs, arg. cap. fin. sup. de succession ab intestato.

Ceteroquin adeo libera electio est in cœmis adultis seu puberibus, sive masculis, si refemini, ut etiam, antiqua sepultura dimissa sovam eligere cuilibet licet, & quidem in loco minus religioso; veluti in Capella, in qua carnis, aut semel tantum in anno celebretur, cap. 2. § fin. hoc sit in 6. modò id malitiosè non fiat.

4. Quin etiam in hac electione variare quis potest ulque ad extreum vitæ spiritum, licet promiscerit antē se tali loco inhundandum, vel illam Ecclesiam non electurum, cap. 1. hoc sit. in 6. c. 1. de pœnit. in 6. Imò verò districte inhibetur Clericis ac Religiolis, ne quem inducant id eligendum apud se sepulturam, vel jam electam ulterius non mutandam: aliterque facta electio nullius firmitatis decernitur, judeaturque defunctus deferrari ad eum locum, in quo, cœlastore rati electione, sepeliendus erat, d. c. 1. hoc sit in 6.

5. Quid si qui in alienum parœcianum sepelient, quem sepelire non debebant, vel quia canoniam portionem suæ Ecclesie non reliquerint, Fraternitatem hoc sit, vel quia ubi non elegint aut potuerint sepeliri: c. In nostra 10. ver. 2. Et demque h. t. tenentur illi, quicunque demum sint, ad restitutionem cadaveris cum omnibus, que occasione sepulturae quomodolibet accepint, c. Ex parte 5. cap. Cùm liberum 6. b. t. Quam nisi fecerint intra decennium, Ecclesia, in qua sepultus fuerit, simulque cœmentum eo ipso Ecclesiastico subiectur interdicto, quoniamque restitutio fatiscat, c. 1. hoc sit. in 6. & ibid. Glos.

Nec etiam in potestate consanguineorum est, ut defunctum extra parochiam aut majorum sepulcrum sepellant: excepto patre, qui profilio impubere sepulturam eligit, c. De uxore 7. hoc sit. Glos. Licit cod. in 6. * 6. Posse tamen quem sepulturæ lux electionem alteri committit tradit Riccius in Fraxi Dœsi. 663. ubi Do-

cij seq. subjecit, electionem sepulturæ probaretiam per testes singulares, & sepulchrum familiæ vel hæreditarium probari ex inspectione literarum ipsi sepulcro inscriptarum.

7. Dixi ante, quemlibet sepeliendum in Ecclesia, quæ jus funerandi habeat: nec enim jus illud omnibus Ecclesiis competit, sed tantum habentibus populum seu parœcianos, vel ex privilegio aliquo, c. Numu iniqua 16. & c. seq. inf. de excessibus Prelatorum, c. Vi privilegia 24. inf. de privilegiis. Cujusmodi privilegium Prædicatoribus & Minoribus competit, Clement. Dicendum hoc sit.

8. An autem hi possint de jure communī processionaliter intrate parochiam, & per se, invito Pastore, accipere funus in sua Ecclesia sepeliendum, quæri potest. Posse tradit Emanuel Roderic. Quæst. Canon. & Regular. tomo 3. & Oldradus Consil. 152. Nihilominus nuper consultus in hac causa contrarium respondi, motus textus in can. Ecclesiæ XIII quæst. 1. Idque etiam tradit & probat Oldradus sibi contrarius Conf. 82. Late Rebuff. Ad Constitutiones Regias de sent. excommunicat. art. 3. Glossa 1. n. 3. Si quæ verò sit hac in re consuetudo vel pactum, omnino servari debet.

S. IV. De Sepulcro majorum.

1. Conceditur etiam laicis habere sepulcra in Ecclesia.
 2. Sepulcra alia Familiaria, alia Hæreditaria.
 3. Pacisci non licet, ut quis solus in loco aliquo habeat sepulcram.
 4. Qui veniant nomine Majorum quo ad sepulcra majorum.
 5. Filii apud quos sepeliendi.
 6. Vxor ubi sepelienda.
1. Cessante dicta electione, si quis sepulcrum majorum habeat, in eo sepeliri eum oportet, c. 1. hoc sit. cap. 1. ood. in 6. Sic Abraham, Isaac & Jacob, in membris existentes, voluerunt sepeliri in sepulcro majorum suorum, Genes. 25. 49. & 50. Et licet aliquando fuerit prohibitorum laicos sepeliri in Ecclesia, can. Præcipendum XIII quæst. 2. tamen ex humanitate quadam conceditur us, ut etiam in Ecclesia aliqua vel cœmeterio sepulcra majorum habeant: quæ alio-

qui

qui ipsi tamquam res spirituales competere nequeunt, nec quoad proprietatem, nec quoad possessionem aut quasi, Abbas in e. Quanto ad finem sup. de judicis.

2. Hinc juxta Caium J. C. in l. *Familiaria* 5, D. *De religiosis & sumptu funerum*, distinguunt potest inter *Familiaria* & *Hæreditaria* sequentia, quod *Familiaria* sunt, qua quis sibi familiæque sue constituit: quorum jus non transit ad cognatos vel affines, si non instituantur hæredes, l. *Ius familiarium Cod. de relig. & sumptib. funer.* *Hæreditibus* tamen, quamquam extraneis competit, l. *Is consequenter* 5. l. *D. Familiæ ericiscundal. Ius sepulcri* 13. *Cod. d. tit.* *Hæreditarium* vero dicitur, quod quis sibi hæredibusque suis constituit, vel ut Ulpianus in l. 6. *D. dereligious &c.* quod paterfamilias iuri hæreditario acquisivit.

3. Non potest tamen iniuste pactum, ut in scelio aliquo præter posterios fundatoris nulli alii sepeliantur. Quin tali pacto, tamquam turpi, non obstante, poterit Praelatus urgente necessitate, veluti si locus alius ad sepeliendum non sit, alios inibi sepelire, Archidiac. in can. *precipimus* XII. qu. 1. Lud. Rom. *Singul.* 189. Cessante verò necessitate, vel justa causa, non debet Praelatus seu Rector Ecclesiæ electam vel propriam alieuius sepulturam eo invito alteri concedere, Bart. in l. 2. §. 1. *D. deeperib. publ.* 1. 2. & l. *Siplures D. dereligious & sumptib. fun.* At deficiente familia concedi ea aliis potest. Zechus *De Republ. Christianæ* 28. num 6 dummodo insignia primi fundatoris non auferantur à sepulcro, ut ex aliis docet Zech d. loco.

4. Cæterum Majores dicuntur pater, avus, & alii superiores l. *Inri consilios* 10. §. parentes 7. *D. de gradibus*, l. *Quæcumque* §. parentes *D. de in ius recipendo*. Hic vero Major propriè dicitur pater & avus, eò quod uno sepulcrum procedat ex affectione, qua inter vivos fuit, quæque major esse solet inter filium & patrem, nepotem & avum, quam inter alios superiores, Oldrad. *Consil.* 25. Ideoque si pater & avus sint sepulti in uno loco, proavus & triavus in alio, sepelitur filius cum patre & avo: si pater in uno loco sepultus sit, avus & alii majores in alio, sepelitur cum avo. Zech d. loco.

Frater autem & soror in eodem sepulcro sepeliendi sunt, can. *Vnaquaque* XIII. qu. 2. §. 5. Filii vero naturales in sepulcro patris nisi is facit

in dignitate constitutus, arg. l. *Ex falso* §. Si quis 4. *D. ad S. C. Trebell.* Spurium & legitimati a Principiis sepeluntur cum matre, nisi ea illustriſſe-rit, l. *D. ad municipalium*; aut aliud petierit pa-ter. Legiti vero & naturales cum patre, si et hæredes ejus existant, can. *Eboron* XII. qu. 1. *Oldradus d. consil.* 25. & 257.

6. Quantum ad uxorem attinet, si sepulu-ram non elegit, sepelienda est in sepulcro ri-ti, d. can. *Vnaquaque* XII. qu. 2. ut quos coniugio unum conjugium, quorumque mens una fuit in vita conjungas & sepulcrum, d. can. *Eboron*, §. d. can. *Vnaquaque*, nisi a viro separata aut virile excommunicatus fuerit. Quod si plures ha-buerit viros, nec elegit sepulturam, cum uli-mo, cuius domicilium retinet & honorem, mulanda est. Is qui h. t. in 6. licet vidua facta transiulerit se ad domum patris vel alium locum. Si vero decebat ante viuum, statur consuero-di-ni, vel sepelietur in sepulcro majorum manu-sui, si is declarat se velle ibi sepeliri, vel alio lo-co, quem sibi elegit pro sepultura. Si non constet, ubi velit sepeliri, sepelietur in sepulcro majorum suorum, Abbas in e. de uxore circa fi-nem h. t. ubi dubitat, an vir, non electa sepuli-ria, sepeliendus sit in sepulcro uxoris.

§. V.

De portione Canonica, parochiali Ecclesiæ debita.

1. *Portio Canonica ex quibus bonis detrahenda.*
2. *Quantitas illius.*
3. *Privilagii an & quatenus exempti à Canoni-rica portione.*
4. *Ex quibus non debentur dicta portio.*

1. Quid si quis extra Ecclesiam suam paro-chiale sepeliat, vel qui sepultum alibi elegit, vel ob sepulcrum majorum suorum, tunc ex bonis, quæ illi loco seu Ecclesiæ in qua sepulturam elegit, etiam exempti, debetur portio, ut vocant, *Canonico Ecclesiæ parochiali*, in qua percepit Sacra menta, & audivit divina, vel percipere atque audire debuit, pro labore & cura animarum, quam Cu-ratus gesit, cum sit æquissimum, ut consolationum sicut socii, qui fuerunt passionum, juxta Apostoli dictum, cap. 1. c. *Relatum* 2. & ibi in-occident. Cum super 8. §. In postea 10. h. 1. t. Cum quis

quiescit in 6. c. Requisiti 15. sup. De testamentis. sed & cum quis, in xgritudine constitutus, se hinc, offert monasterio, debetur eadem portio Ecclesie parochiali, dummodo ex xgritudine illa decelerit, e. De his 7 b. t.

1. Portio aurem Canonica quandoque est quarta pars bonorum, quæ defunctus reliquerit Ecclesie, in qua vel iuxta quam sepeliri voluit, ut in d. c. Cum super 8 b. t. quandoque tertia, ut in c. 1. quandoque media, ut in c. 2. quandoque minor, ideoque in ejus quantitate definienda loci cuiusque spectanda est consuetudo, e. Ceterum 9. q. ibid. D. D. b. t. Notaque Abbas, suffices consuetudinem decem anorum, quia non sit contrarius, sed præter jus i. maximeque intendi hic debent statuta & concordata, si quæ sunt, cult. De patris in s. Et hinc Concil. Trident. Sess. 15. cap. 13. decernit, ut quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali aut parochiali Ecclesie solita fuerit per solvi, eadem integro jure & eadem portione, ut antea, eidem Ecclesie per solvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Maximo nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

3. Estque hæc mens Pontificum, hujusmodi privilegia concedentium, ut iis privilegiati civiliter & urbanè urantur, us scribit Zyp. b. t. 87. Unde quamvis à Pio V. & antea à Julio III. & aliis, quorum meminimus Choppin. Monast. lib. 2 tit. 1. n. 3. per specialem privilegium Praedicatorum, Minorum, & ceteri Medicantes Ordines exempli videantur à quarta funeralium, quam ante de jure solvere tenebantur, juxta u. in nostra 10. hoc iii. & Clement. Dudum versic. Primum eod. tit. ubi jubentur solvere quartam parochialibus Ecclesie tam de obventionibus quam funeralibus (id est iis, quæ cum funere determinuntur) quibuscumque & quomodo cum querelictis, distincte, vel indistincte, ad quocunque certos vel determinatos usus, etiam de quibus Canonica portio ab aliis Ecclesiis dari vel exigi non confuerit, vel non debet de jure, proulatius in d. Clement. Dudum Glos. ibid. ad funeralibus: ubi ostendit per d. Clement. corrigi c. 2. in Extravag. communib. b. t. secundum cujus dispositionem etiam candelas sibi ex integro retinebant: tamen idem Pius V. Pont. declaravit mentem suam fuisse hanc, in-

vitandi se illece Parochos, ut quoties eorum parochianis in Ecclesiis Mendicantium sepeliantur, ipsi quoque præsentes inter sint, ac propterea quartam partem consequantur omnium, quæ ab heredibus defunctorum pro funeralibus dantur. Officiatamen mortuorum, & alia munera, quæ in hujusmodi monasteriis adhiberi solent, non à Canonicis, Parochis, aut Clero, sed ab ipsis Fratribus præagi debent. Mar. Antonius Genuen in Praxi Neapol. cap. 62.

4. Ceterum Canonica hæc sive legitima parochialis portio non debetur nec detrahitur ex iis bonis, quæ relicta sunt alii Ecclesiis seu pli locis, quam ubi quis sepelitur, Glossa & Abbas in c. 1. in d. c. Cum super in c. Certificari 9. b. tit. Nec ex legatis pro ornamentis, pro fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vicesimo aut tricesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum relictis, modo non sub sit fraus aliqua, nec jure suo prius Episcopus vel Parochus, e fin. sup. De testamentis, q. ibi Boëti. Epo. s. Ex parte vestra 32. inf. De verb. significat. Nec item ex donatis Ecclesiæ inter vivos Hostien. in d. c. 1. b. t. Non de equis & armis, quæ induit sunt militibus Jerosolymitanis seu Hospitalariis, in subsidium terræ sanctæ, e. In nostra b. t. Non de relictis pro incertis male ab aliis. Debetur enim portio hæc ultra legatum, relictum Ecclesiæ parochiali, ab eo, qui sepulturam sibi elegit alibi. Cujus rei ratio est, quia non testator debet eam portionem parochiali Ecclesiæ, sed Ecclesiæ vel locus ille, ubi sepeliri voluerit, Clem. Dudum De sepulis. Boëti. Epo ad c. Officii 14 sup. De testam. n. 14. q. seqq. Videatur plenius de distractans Laius Zeclius De Repub. Christiana cap. 28. n. 18.

§. VI.

De Canonica portione Episcopali.

1. Canonica Episcopalis portio quanta.
2. Quatenus detrahere eam possit Episcopus:
3. Ex eo, quo d. Episcopo relictum est, quatenus Ecclesia debatur sua portio.
4. Non detrahitur portio Episcopalis ex relicto pauperibus in genere.
5. Non ex relicto pro restauratione & edificatione Ecclesia.
6. Non ex relictis pro ornamentis, luminaribus; &c.
7. Non ex legato pro maritandis virginibus.
8. Non ex legato, quod si Rogularibus.

q. Non

9. Non sit detractio, nisi deductis oneribus.
10. Consuetudine introduci potest, ne quarta Episcopo debeat.

Repeatur & alia portio Canonica in Jure Pontificio, quæ dicitur Episcopalis, quia Episcopo debetur, pro cura, quam in suam diocesim impedit, ex relictis alicui Ecclesiæ, c. Conquerent in V. mortuiorum sup. De officio Ordinarii, c. Officij cum seq. sup. De testamentis.

1. Et hæc quoque nunc est quarta, nunc tertia pars, c. Requisisti 15. sup. De testamentis, can. Vobis, can. Conceffo, can. Vulnerana XII. q. 2. d. c. Conquerente: quandoq; media, can. Antiquos X. q. 1 c. 2. b. 2.

2. Hanc autem portionem detrahere potest Episcopus, licet testator seu defunctus expreſſerit, quod non velit aliquid Episcopo relictum sed Ecclesiæ, quia privata testatoris dispositio generalē Canonis constitutionem immutare nequit, d. c. Requisisti versic secus autem.

2. Quemadmodum verò Episcopo competet sua portio, si quid Ecclesiæ relinquitur, ita si quid Episcopo relictum fuerit, ex eo Ecclesia Parochialis suam Canoniam detrahit portionem, nisi expreſſerit testator, quod velit illud esse Episcopi tantum, aut præsumatur relictum Episcopo intuito personæ, & non Ecclesiæ, veluti quia à coniuncto ac propinquuo relictum ei sit. d. c. Requisisti vers. Si vero relinquitur. Alias quando relinquitur aliquid Episcopo intuito Ecclesiæ, veluti ab extraneo, tunc ex eo portionem habebit Ecclesia parochialis. Quod si coniunctum Episcopo & Ecclesiæ Cathedrali legetur aliquid, de eo inter ipsos Canonica est divisio facienda: quemadmodum & si istud Episcopo; & illud Ecclesiæ relictum sit; nisi stare malint voluntati & dispositioni testatoris, d. c. Requisisti, vers. Si vero istud, aut testator jussit Episcopum sibi reliquo contentum esse, d. c. Officii. Cum Ecclesia vero inferioribus Episcopus non dividit sibi reliquum, quia non est illi tanta communio cum talibus Ecclesiis, sicut cum Cathedrali: quartam tamen ex iis, quæ hisce Ecclesiis relinquentur, recte detrahit, d. c. Requisisti. Se cius autem: ubi de hac re plenius videre licet, ut & in Decisione Rotæ Romanae, quam referunt Pias. sec. 2. p. c. 5. art. 4. n. 40. Ubi in primis dicitur regulate esse. * 4. quod de iis quæ relin-

quantur pauperibus in genere, nulla debeatur quarta. Cujus ratio est, quia quando relinquitur aliquid pauperibus in genere, illud relinquitur personis, non autem pī locis: de relictis vero personis non detrahitur quarta Episcopalis, c. Ex parte 31. De verb. significatis. Nisi relictum esset pauperibus certi loci, quia legatum tunc videtur factam intuitu pī loci & ipī loco.

5. In eadem Decisione resolvitur de relictis pro restauratione Ecclesia matricis, adiunctione & reparacione Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum piorum locorum, non deberi quartam, per text. c. ult. ibi, seu fabrica sup. Detestam. & in d. c. Ex parte, ibi, vel ad fabricam.

An vero, si de praesenti Ecclesia non indiget restauratione, debeatur hoc causa quarta, dubitatum fuit. Et aliis negantibus, aliis affirmantibus, in eadem Decisi. resolutum fuit, attendam esse formam legati: v. g. si testator velit statim vel in singulos annos aliquid solvi pro restauratione Ecclesiæ, quæ reparacione non indiget; ut tunc debeatur quarta: non si pro restauratione Ecclesiæ ita legaverit, quouscā indigebit.

6. Et ita quoque dicendum de relictis pro subventione luminarium, ornamentorum, & aliorum, ad cultum divinum pertinientium, ex iis non deberi quartam, d. c. fin. nisi usus esset indeterminatus, & non destinatus cultui divino, d. c. Ex parte & d. c. Requisisti.

An autem debeatur ex relictis pro aliis pī operibus in genere, pendet, inquit eadem Decisi, à futuro evenitu: quia si executores distribuerint legatum in fabricam, luminaria, ornamenta Ecclesiæ, vel in concordientia divinum cultum, non detrahitur quarta, d. c. fin. & d. c. Ex parte: secus si in piorum locorum ulcum uia privilegium.

7. Sed neq; detrahitur ex legato reliquo promittandis anno quolibet duabus pueris, vel pro una pueris consanguineis: quia vel sunt pauperes, & constat non deberi quartam, cum legatum sit factum personæ, & non loco; vel non sunt pauperes, & tunc quoque non debetur, cum ob eandem rationem, cum quia tale legatum non dicitur pī.

8. Non deducitur quoque ex legis, quæ sunt Regularibus, Extravag. l. h. t. in communib.

De bonis vero relictis à Clerico intestato permutuit Episcopo retinetur quartam, ubi talis est consuetudo, arg. e. ult. De officio Ordinarii in h. Santo. Junct. Gloss. in V. morientium sup. De fucis ab intestato.

Sed & de bonis laicorum, ab intestato dece-
dentiis, potest Episcopus deducere quartam
distribuendam in pios usus, ubi consuetudo ta-
lis regit, ut de consuetudine regni Neapolitanii
relata Genuensi. in Praxie. 66. ubi refert re-
ponsum sacrae Congregat. super tali dubio, &
eius Piasec. d. cap. 5. art. 4. n. 42.

9. Deducenda autem hæc quarta est, d. du-
bifius oneribus, id est, solutis debitibus, si qua-
tur, & impensis in pompam funebrem factis,
exentiisque, qua fuerint necessaria pro servito-
ris & ministris, d. c. ult. § porro de officio Ordinarii in 6. Piasec. d. loco n. 42. in fine.

10. Potest denique consuetudine sive præ-
scriptione legitima induci, ne quarta hæc Epi-
scopo debetur, e. De quarta sup. de prescript.
Consuetudo ramen, ne Ecclesia patrochialis ali-
quid capiat nomine quartæ, est irrationalis,
secundum Piasec. d. loco n. 40. in fine ex Hostiens.
in Summab. s. n. 8.

§. VII.

Quibus deneganda sit sepultura.

1. Sepultura favorabilis, nec facile deneganda.
1. Denegatur omnibus excommunicatis, si heretici, usurarii, &c.
3. Item Monachis propriarum.
4. Quosque in peccato mortali sine contritione de-
cessisse confiterit.
5. In loco interdicto nemo sepeliendus.
6. Pena contravenientiam huic legi.

1. **Q**uamquam ab Ecclesiastica sepultura
nemo arcendum videatur, juxta illud
Ecles. 7. Mortuo non prohibeat gratiam, sciens quo-
nam omnes moriemur, ut habetur in can. In Ec-
clesiastico 4. XII. q. 2. tanta que fuerit cura apud
Romanos in sepelieadis corporibus, ut har-
cideate indignum judicarent eum, qui defun-
ctum debite non sepelliſſer, l. Haradias D. de
haret. part. l. Militia Cod. eod. * 2. tamen ex Ju-
ris dispositione non nullis iuste denegatur, imo
planè interdictum Ecclesiastica sepultura: ve-
luti paganus, can. Ecclesiasticum 26. cum seq. de conse-
cta. difinit. l. Judicis, hæreticis, etiam post

mortem damnatis, eorumque fautoribus & ac-
ceptatoribus, can. Sand. XXIV. q. 2. c. 2. De haret. in
6. c. Excommunicatus & credentes inf. De haret.
cæterisque excommunicatis, quia quibuscum
non communicamus viventibus, cum eis nec
mortuis communicare debemus, e. Ex parte, e.
Sacerdos h. t. Clement. 1. eod. e. Ad hac inf. De privile-
giis: veluti usurariis publicis, nisi praedituerit,
& caverint de restituzione facienda, e. Quia in
omnibus inf. De usurris, e. Quamquam eod. tit. in 6.
Clement. 1. eod. tut.

Insuper denegatur sepultura iis, qui sibi ex
proposito & sponte manus mortemque intule-
rint, can. Placuit XIIII. q. 5. can. Quibus XIII. q. 2.
secus si casu aut fatuitate, can. De occidendo
XVII. q. 5. In duello item interfectis, Con-
Trid. Sess. 25 c. 19. De reformat. c. 1 inf. De cornea-
mentis. Item blasphemis imponentibus, e. Sta-
tuimus inf. De maledicis Raptoribus, non satisfa-
cientibus, e. 2. inf. De raptorib. Furibus & latro-
nibus, in granti criminis occisis: secus, si com-
prehensi aut vulnerati, & confessi presbytero
fuerint, can. Fures & latrones XII. q. 2. c. 2. inf.
De furib. * 3. Monachis, qui in extremis cum pe-
culio & habere proprium inventi fuerint, e. Mo-
nachis 2. c. Super quodam 4. c. Cum ad monasterium
6. quod si proprietas inf. De statu Monachorum.
Nominatum interdictis, Clement. 1. De sepult.
Tutorem testamento constitutis presby-
terum, can. ult. Dist. 88. Ad hæc nec semel in an-
no peccata sua ritè confessis, quique ad minus in
Palchate Eucharistie Sacramentum non sum-
pserint, e. Omnis utriusque inf. De peccatis. & remiss.
Exenteratis item, seu quorum ossa nudata & le-
parata sunt à carne, alio transferenda, e. 1. De se-
pult. in Exteravag communib. Ultimo eriam sup-
plicio damnatis, si moriantur imponentes;
alias sepeliuntur, can. Quæsiuum XI. q. 2. l. 1. &
fin. D. De cadaveribus punitorum: accidente ca-
men Principis aut Judicis auctoritate, qui sub-
iude juber ad exemplum aliorum cadavera eo-
rum in loco supplicii remanere, l. 2. D. d. tit.

4. Denique iis omnibus, quos in gravioribus
peccatis imponentes decessisse confiterit,
can. Quibus can. Pro obediens XII. q. 2. nisi signa
contritionis dederint, ad quod probandum suf-
ficere unum testem notat Zech de Rep. Christia-
na cap. 28. n. 26.

5. Sed & tempore interdicti generalis omni-
bus

V u

bus in eo loco denegatur sepultura. Exceptis Clericis, qui si servarint interdictum, sine campanarum pulsatione accessantibus solemniteratibus omnibus cum silentio sepeliti in coemeterio possunt, can. Quod in t. inf. De paenit. & remiss. Similiter si Ecclesia, vel coemeterium subjaceat interdicto, nemo inibi sepeliri potest.


6. Quod si de facto sepeliantur, qui de jure prohibentur, Ecclesia vel coemeterium polluitur, reconciliarique debet, priusquam alii Christiani ibi inhumentur, e. Conjuratio inf. De consecrat. Ecclesia, & ossa eorum, si discerni queant, exhumari jubentur, e. Sacris 12. b. t.

Qui vero hujusmodi personas, sepeliri prohibitas, contemptis Ecclesiae clavibus, aut interdicti tempore in Ecclesia aut coemeterio sepelire ausus fuerit, ipso facto excommunicationis sententiam incurrit, a qua non prius absolvit potest, quam ad arbitrium dicasterii Episcopi, eis, quibus iuris irrogata est, satisfactionem competentem exhibuerit, nullo exemptionis aut alio privilegio illi suffragante, Clement. 1. b. t.

Hac tamen intelligenda sunt de iis, qui imponentes deceperint, nec in articulo mortis reconciliati Ecclesiae fuerint: nam si quis, dum in extremis ageret, legitimè absolutus fuerit, ei coemeterium aliqua Ecclesiae suffragia minime deneganda sunt, d. e. Sacris b. t. Et si tales damnum aliquod alii intulerint, non obstante absolutione, heredes eorum & propinquai, ad quos bona devenerint, ad restitutionem damni illari convenienti compellique per censuras Ecclesiasticas poterunt, d. e. Sacris, & t. In lit. 5. inf. De raptoribus.

In eo vero, quem eatus inopinatus opprescit, hanc regulam sequimus, ut cui communem abamus viventi, etiam defuncto communicemus, e. Ex parte 11. b. t. nisi constitutum in peccato mortali cum improba impunitenti conscientia è vita migrasse, Glos. & Panoim. add.

6. Ex parte per text. in can. Non affi-
memus, can. Pro obsequiis
xiiii. q. 2.



§. VIII.

An exigit aliquid pro sepultura posse.

1. Terram semel consecratam pro sepultura vendi non posse.
2. Quarenus consuetudo toleret pro sepultura in aliquid.
3. Vi & pro licentia sepeliendi quem alibi.

T Amethi quis terram, profanata adhuc & puram seu nondum consecratam, sanctam aut religiosam factam (per inhumationem scilicet alicuius corporis humani, l. v. Cod. de religios. & sumptibus funerum) posse pro sepultura emere, can. Aurum xii. quest. 2.

1. Tamen terram semel religiosam factam, seu cultu divino dicatum auctoritate Episcopi, pro sepultura vendete & emere absqu. Simoniz labo non licet: neque pro exequis aut sepulta aliquid exigere, etiam prætextu alicuius consuetudinis, e. Abolenda 13. hoc tit. cap. Namibis, & c. Audivimus, e. Non iatis, e. Ad Apostolicam inf. De Simonia, can. Quæsta, can. In Ecclesiastis, can. Præcipendum, can. Postquam pte xiii. q. 2.

2. Quod tamen intelligendum est de coniunctitudine, proveniente ex coacta solutione: aliud enim dicendum de ea, qua introducta fuit ex pia & laudabili devotione fidelium; nam illa servanda est, & populus ad illius observacionem cogi potest, si non iure actionis, saltem officio Judicis, e. Ex parte 18. inf. De confess. late Riccius in Praxi decr. 665. n. 4. Quare si sepeliendus aliquid Ecclesiae, in qua vel cuius coemeterio sepulteram elegit, vivens tradidisset, aut post mortem parentes, proximi, vel heredes pro luminaribus vel elemosynis ultra date voluerint, sponte oblatum accipi poterit, non etiam exigi, ne aut vñalis dicatur Ecclesia, aut Clerici de hominum morte gaudere videantur, si ex eorum cadaveribus studians querere qualibet modo compendium; nisi, ut dictum est, pia & laudabilis consuetudo aliud dictaverit, d. e. 1. ad Apostolicam. Hac enim in recipiendis munieribus circa spirituallia inspici debet, can. Agatho Dismiss. 63. can. Conquestus ix. q. 3.

3. Ad autem pro concedenda licentia sepelendi

hendi alibi cum , qui sepulturam non elegit, aliquid exigi jure possit, querit Riccius in *Praxi p. 665.* Et refert posse, itaque fuisse resolutum a Curia Romana, quia talis licentia peti solet a causa conseqnendi honorabiliorem locum in aliis Ecclesiis; ideoque propter eis modi preeminentiam posse honorem illum pretio æstimari & vendi : cum hoc casu non vendatur sepulcrum, quæ gratis prestanta est defunctis, Videatur fuisus Petri Greg. Tholofan. *Paroecia Canon lib 1 Tit. 15 cap. 5. Zech. de Rebus Christiana cap. 28. n. 19. vers. careantem.*

§. IX.

De poenis violantium sepulcrorum.

1. *Duplex in violatores est poena, Civilis & Criminialis.*
2. *Quibus modis sepulcrum violetur.*
3. *Arma & insignia à sepulcris amovendi non posse.*

Postremo sepulcrorum violatores & civiter & criminaliter puniuntur, l. 3. & l. de sepulcro D. de sepulcro violato. Civilis poena est pecunioria; solvenda iis, quorum interest vel denuntiantibus; et que centum aureorum, l. 3. §. 1. & §. 5. si quis in sepulcro, & d. l. De sepulcro, & quanti interest, l. Liborum D. De religiosis & sumpt. funerum. Criminalis est modo mulcta, modo capitalis.

2. Violatur autem Sepulcrum variis modis; ut si quis in sepulcrum alterius, eo invito, cadaver inferat: si dolo malo quis in eo habiteret, aut edificium, aliudne, quod causa sepulcri factum non est, habeat: si ossa alio transferat, non perita licentia à Pontifice, olim Principe, vel etiam à Magistratu, si causa rationabilis transferendi occurreret. Quod obtinet, quando cadaver ibi sepultum est eo animo, ut perpetuò illuc maneat: alioquin si eo animo, ut postea alio transferatur, licebit illud transfere sine licentia, nec sepultura temporalis locum religiosum facit. Item si quis sepulcrum demoliat: & si servus id fecerit, jubente domino, poena est metallum; si absque jussu, delegatio.

A ctio etiam de sepulcro violato infamiam irrogat, prout latius deducit & probat, aliaque eodem spectantia tradit Tholofan *Syntagma Iuris universalib. 33. cap. 23. à num. 11.*

3. An autem affixio armorum in propriis sepulturis prohiberi possit, querit Riccius in *Praxi Decisions 667.* & resolvit non posse: subjungens, contra amoventes arma atque insignia ex sepulturis dari actionem injuriarum.

TITULUS. XXIX.

De Paroeciis & Paroecianis.

§. I.

Quæ dicatur Ecclesia Parochialis,

& unde.

1. Ecclesiarum varia divisiones & differentiae.
2. Curata Ecclesia quæ sit.
3. Quæ Parochialis.
4. 5. Parochus & Parochia, item Paroculus & paroecia unde dicantur.
6. 7. Ratio instituendarum Ecclesiarum parochialium.
8. Substantialia Ecclesia Parochialis.
9. Parochia distincta esse debent.
10. Item dotata pro decente sustentatione: & ratio dotandi.
11. Unus dumtaxat praeficiendus Ecclesia.
12. Parochianus seu Paroecianus qui censeatur.

Omissis Ecclesiarum variis divisionibus, differentiis, nominibus, pro varia ratione dignitatis, loci, formæ vivendi, & similium (ut quid alia dicatur Romana, alia Primitialis, Patriarchalis, Archiepiscopal, Episcopalis, seu Cathedralis, à Cathedra seu fede Episcopi: alia collegiata, eaque vel Regularis vel Sæcularis, alia non Collegiata; rursum alia Curata, alia Parochialis, alia Matrix, quæ subinde dicitur

V u. 2

dicitur